

Debreceni, Johannes P.

DISPUTATIO POLITICA DE

MAJESTATICA SUPERIORITATE Sive

Majestate in genere.

Mlechst, 1658.


A Történelstud. Intézet ajándéka

20 buc.

Szabó: III, 2017.

R. & T.

III, 958



Magyar Tudományos Akadémia
Könyvtár 56 454/195 2. sz.

DISPUTATIO POLITICA, 739

DE

Majestatica Superioritate

Sive

Majestate in genere.

QUAM

Supremo Favente Numine

SUB PRESIDIO,

Clarissimi, Acutissimi, Doctissimique Viri.

D. DANIELIS BERCKRINGERI,


Lib. Art. Mag. & Philosophiæ Practicæ atque Eloquentiæ

in Almâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarij,

Publicè defendendam proponit.

JOHANNES. P. DEBRECENI Pannonio-Ungarus.

Ad diem 20. Februarii, horâ locoque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ Johannis à VVaesbergæ,

Anno c1o 1o c LVIII.

Cl.
Sann.
27
d.
vi

*Augustissimo, Spectatissimo, Consultissimo, Praesertissimo
Debrecinensium*

REIPUBLICÆ SENATUI,
totique POPULO;

Magnis Orthodoxæ Ecclesiæ, Religionisque *Defensoribus*,
atque Nutricis, Dominis Mæcenatibusque suis munificentissimis,
studiorum suorum *Favoribus* maximis, omni animi prompti-
tudine honorandis.

U T T

Reverendis, ac Clarissimis VIRIS,

D. Stephano TORNEO,
D. Mathæo NOGRADI.
D. Georgio CS. COMAROMI

Illi *Tractibus Debrecinensibus Seniore, Ec-
clesiarumque; Cuius-Tribunicarum Super-
intendenti vigilantissimo, Domino pa-
tris instar honorando, &c.* Huic *praes-
fata ejusdem Reip. Administrato servi-
dissimo, Domino venerando. Illi S. S.
Theol. Doct. eximio, &c.* In ci-
vitate *praefata verbi Dei discipulo fide-
lissimo. Dominis studiorum suorum
Promotoribus, in æternum venerandis.*

Item,

Generoso, Doctissimis ac Politicâ experientiâ fulgidis Juvenibus,

D. Joanni NADANYI de Keres Nadany,
D. Caspári ENYEDI de eadem,
D. Nicolao TETSI *eadem de eadem.*

Illis *Philosophia, ac Sa-
cra Themidos Alumnis
sagacissimis. Huic Theo-
logia, Philosophia & S.S.*


*Ling. studioso; In choro Pæbæ Musarumque mecum desudantibus,
peregrinationis meae consortibus, amicis integerrimis.*

Se, & discursum hunc Politicum, quam officiosissimè

Sacrum facit

JOANNES P. DEBRECENI.

Author & Defensor.



Quoniam non ignorem Amplissimi, Nobilissimi Domini Patroni patris
 instar honorandi, vosque Reverendi ac Clarissimi Domini, apud
 quosvis obtinere nunquam satis laudata Imperatoria Majesta-
 tis instituta, in recentioris praesertim avi actis, quibus sua in-
 dulset decora; dabq; tamen consuetudini paucis laudes ejus promere, me-
 moriam ab antiqua vetustate ad haec usque tempora repetitam recollere, tan-
 demque admiranda ejus munimenta, quae sua virtus redolet, expedire. Nec ab-
 sone, quanta enim ejus virtus, quanta tacita ejus gravitas, utpote quae in-
 gruentium calamitatum nimbos consilio, prudentia, nec non virtuosâ dexteri-
 tate discutit, fluctuantemquâ Rempubicam in tutissimo portu constituit. Sed
 ac paulo devius excurram, non hanc ambitio permovit, sed necessitas, spectat a-
 que inter homines moderatio ad imperium protrusit; Nec mirum Serenissima
 enim ejus munera atque commoda hoc vel ab eis praecigunt, & extimulant, quo-
 rum absentia vultu immobilitat, efficiuntque ut populus obsolescat, adeoque omnes
 terra partes inculta rubiginent. O tutissimum salutis publica solatium! Tu ar-
 bes peperisti, imperia fundasti. Tu disperdes homines in civilem societatem con-
 vocasti. Te sine quot rixa, cades, insanda facinora, nec non Urbium excidia
 proserpant. Te sine alma pax exulat, patrimonia atteruntur, publica salus in-
 gemiscit. Excedat aegidum haec rebus humanis, quid quaeosus? Non nisi alii redi-
 turas per jugulum voces non continendo mortifera loquentur: alii insanâ præ-
 potandi libidine nixi extrema minabuntur dedecora. Tollatur è medio, cuncta
 (fateare) videbis misceri, incertisquè laboribus perturbari. Patria nobis premi-
 tur, ecquis eam sublevet? Ecclesia vacillat, eecum vindicem qui defendat? Rui-
 nae timentur, ecquis hostes propulset, easquè reficiat? Non thesauri, non arma,
 nec exercitus, sed Politica, quam Majestate residet, prudentia, ad quam in du-
 bus & adversis hinc inde minas & cladem spirantibus ad oracula veluti decur-
 rendum est; Plura enim consiliis & prudentia, quam telis & opibus geruntur.
 Unde recte Salustius inquit: Omnia Regna, civitates & nationes usque eò pro-
 sperum habuere imperium, donec apud eos consilia valuerent. Et certe miserè do-
 lendum in Rep. tollerare tales, quibus loquentia multum, eloquentia tamen &
 sapientia parum, hi enim plus nocent quam profunt, corrumpuntque magis
 quam ut instruant Principum judicia; His rudia visu, novaq; auditu gratia ar-
 dua tamen supra captum cogitationis mendacia putantur. Non hi Remp. guber-
 nare, non labefactam erigere & restituere, non item Principū negocia salubri
 consilio moderare possunt, quinimò ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore versant. Nō
 ergo mirandum est Alexandrum, Hannibalem, Scipionem aliosquè eo potentia

Gloria crectos ut viribus hostium superatis Indorum, Scytharumque
 Reges equis viribus dimicantes imperio subiugarint, quam profidis literatorum
 munus, prudentium consiliis exerciti illuxerint. Facessent hinc igitur pervia in-
 doctorum Regimina, propter qua florentissima seculis est innumeris steterint
 imperia aboruntur. Erubescat suribundaluxuriantium cohors, cuius imperu pra-
 lae, Reip. munimenta subvertuntur, paucâ vetustate caduca satisfiunt, ingen-
 tiusque opum iacturâ contabescunt. Exulet Tyrannus impotenti sua libidine, lan-
 guescat suâ avaritiâ, quibus iura rescindat, imperiû profligat, libertatem subagi-
 tat, ipsosque subditos non modo ad affligendum, verû etiam ad interitum adigit.
 O detestanda Harpiarum soboles! An te major à condito mundo pestis humano
 generi pluris fletu? Neutiquam. Intuemini caedes ac Venena, Urbium clades,
 & multarum exitia gentium, Magnatum sub civili hasta capita venalia, No-
 bilissimarum civitatum nullis in locis fundamenta vix notabilia; Hæc ipsa
 Tyrannus dejecit. Intuemini tot memoria proditos Duces? Alium Tyrannus in
 cubili suo confodit, alium inter sacra mensa percussit, alium inter leges sori
 lancinavit, aliumque servili manu dare sanguinem iussit, quæ omnia ab initio
 Tyrannidis savitia suere. Sed ne diutius vos morer Amplissimi ac Nobilissimi
 Domini, &c. memet ad vos convertam; queritis forte, cur hoc meum Politico-
 rum studiorum pignus, quod haud frigide tractavi, vestro nomini dedicatum
 in lucem prodere volui? Jubet hoc mirabilis vestra in Majestatem & Remp. in-
 doles, adeoque singularis vestri in me propensio: jubet favorabilis vestra be-
 nignitas, vestri que patrociniû, quò in me usi estis, quò fovistis, nec in poste-
 rum fovere ullo modo desinetis. Vos enim estis Patria sulcra, Reip. fundamina.
 Vos estis fervidi rerum sacrarum, Phœbi Musarumque in Alma vestra Debre-
 cina Antistites. Vosque Patroni ac patres mei omni reverentiâ, honore, amore di-
 gnissimi, munificentissimi; Vestri de me cura, vester in me amor, vestro igitur
 Patrociniû me meaque studia in vestri usum tegere ac tueri constanter pergite,
 favorem pristinum continuate; ego quoque ad obsequiû virtutibus meritis-
 que vestris me debitum semper optimâ fide præstiturum polliceor. Vobis Deus
 adsit, inque sui gloriam, Religionis patrociniû, Reip. pacem, Ecclesia Dei
 Scholarumque adificationem quam diutissime conservet. Ita voret ac precatur

Amplitudinum vestrarum Alumnus
 obsequiosissimus
 JOANNES P. DEBRECENI
 Patrie Filius.

DISPUTATIO POLITICA

DE

MAJESTATICA SUPERIORITATE,

Sive

MAJESTATE IN GENERE.

T H E S I S I



Quandoquidem *cultioris* ingenii, doctrinaeque *felicitatis* interest: *Methodicâ*, cui *Logica* subservit, tractatione, rite tanquam *rectâ, tersâ*, atque *compendiariâ* rerum præsertim *Illustrium* naturas & proprietates indagare, easque aliis cognoscendas expedite proponere; *Amutar* & ego *Nobilissimæ* nostræ *Disputationis de Majestatica Superioritate, sive Majestate in genere* excellentiam, amplitudinem, necessitatem, magnificentiam & utilitatem (*Logicâ* præcinctus *methodo*) exquisitè & luculenter delineare. Ut ergo *opella* nostra, quam agere ordismur auspiciatò fiat, *Majestatis* 1. *Nomen*. 2. *Res ipsa* (rudi *Minervâ* favente) considerabimus.

I I

Quod ad nomen *Hebræis* dicitur. מַלְכוּת נְבוֹנָה, *Græcis* Κοίτης πολιτείας, *Latini* vero *Majestatis* indigitatur nominibus; Apellatur enim *scæptum*, *Regalis majestas*, adeoque *imperium* in *Republica summum*. Cuius respectu *summa hæc Majestas* haud incongrue suam haurit originem à *Magnitudine*, vel à *Majore*, idque *bisariam*. 1. *Ratione paritatis*, quemadmodum enim ad honore congruè honestas: ita à *Majore* *Majestas* haud præposterè effluit. 2. *Ratione objecti*, eo quod tanta in *Rep. summi imperii* magnificentia & amplitudo, ut suâ *magnitudine* reliquas omnes complectatur, adeoque superet potestates & imperia, neque se superiorem intra vel extra *Territorium* recognoscat. *Bornit. tract. de Maj. Arnis. 2. de maj. Libert. exer. v. 1. Bodin. de Rep.*

Explicato nomine Majestatis, ad enodandam rei ipsius resolutionem memet conferam, ubi *summa* hæc Majestas in *Realem* seu *imperii*, quatenus Reip. regno, vel imperio innata adeoque *coeva* existit; Et denique *Personalem* quæ ad Remp. redit, eamque regit, se dispesci haud renuit. Enimvero, quoniam *Majestas* imperans, ab *imperii* majestate tanquam fundamentatum à suo fundamento distinguatur: hinc consequitur necessariò ut majestati imperii, impetantis majestas tanquam superiori subsit & obstringi cogatur, spectat enim *Realis* hæc majestas ad Reip. constitutionem, quam tenetur is, qui imperat, adeoque leges ejusdem ne quid Reip. capiat detrimenti observare, nullaque variatione dehonefata; *Imperans* quippe homicida suæ propriæ esset majestatis, si ipsam nitretur convellere Republicam. Quod autem fari auserim *imperantes* ratione *Realis* majestatis Reip. obstrictos esse, id non intelligendum est de obstrictione *subjectiva*, sed *conservativa*; Quemadmodum enim homo seipsum interficere aut destruere haud potest, hoc enim impotentia magis quam potentia adscribendum esset: haudabsimiliter majestas *Realis* perficit *Personalem*, adeoque illius obstrictio liberæ ejus voluntati non deeedit, quinimo perfectioni atque emolumento utriusque conducit, ut *Besol. de Maj. notat*. Porro majestatem *Realem* Reip. regno vel imperio *innatam* adeoque *coevam* esse, hoc fundamento nixus præmonco, quod scilicet neque per decessum Regis aut Principis expirat, sed quamdiu corpus ejus durat, permanet; & etiam sub interregnis ac alterationibus firmiter persistit.

I V.

De *Reali* hæctenus majestate, superest *Personalis*, quæ in personam confertur, & in eandem redundat. Definitur autem majestas *Personalis*, quod sit *summa & perpetua in cives ac subditos, legibusque soluta potestas*. In qua Definitione, tria solide examinanda, 1. *Objectum*, cives nempe & subditi. 2. *Materia* ejus, potestas scilicet. 3. *Adjuncta* tria potestatis inseparabilia, quod ea potestas sit *summa, perpetua, legibusque soluta*. Quod ad priora duo, dicitur *potestas in cives ac subditos*, quæ nihil omnino aliud est, nisi majestatica omnis juris & imperii in qualibet legitima & ab aliis separata Rep. secundum *Dei, naturam & communis Politia* legem, jurisdictio, quæ tam eminentis, tantique momenti est, ut quemadmodum ex oriente Sole stellæ aliæ omnes conticescunt: ita majestate superveniente nullus magistratus jurisdi-

jurisdictionem suam, et ad eam exercere potest. Quod ad *tertium*, ad *summa* scilicet potestatis, attinet, dicitur ea, 1. *Summa*, non quia imperator totius mundi Dominus sit, ut ei de jure cetera omnia imperia in mundo sigt, & debeant esse subjecta, sed quia nullum se superiorem præter Deum & gladium personaliter recognoscit, adeoque nullius beneficio suum obtinet imperium. 2. *Dicitur perpetua*, & quidem duplici respectu. 1. *Quia* ad imperii decessum permanet, adeoque sicut cum imperio ejus Personali oritur, ita moritur. 2. *Quia* fieri potest ut uni pluribusve summa potestas, nec tamen perpetua tribuatur, sicque ad breve tempus durat, cujus decursu summæ potestati vacare coguntur; Cujus respectu tales non ita summi Principes, quam summæ potestatis ac imperii custodes appellitari possunt. Exinde jam colligitur nec *Dilatorem Romanorum*, qui ab interrege modo Patricio sanguine ortus esset ad majestatem creabatur: Neque *Regentes Regni*, qui vel ob infantiam, vel furorem, vel absentiam Regis creati solent: aliosque his similes majestate personali gaudere posse, cum ad breve saltem tempus summa eis potestas tribuatur. Dio *tertiam* potestatem hanc *legibus esse solutam*, & quidem propterea, velut enim majestas summa imperandi potestatem à se habet, nec agnoscere se superiorem existimat; Hinc necessario consequitur & illud, quod ipsa prout alieno imperio: ita quoque legibus obstrictum esse plane nullis se recognoscat. Liber enim est ab omni legum necessitate, nec ullis constitutionibus aut scriptis à natura innatis, aut à gentium consensu introductis coercetur, quinimò *Leges novas sancire, eas corrigere*, adeoque leges in certis casibus positas pro lubitu negligere atque repudiare potest. Nec immeritò, non enim *summus* dicendus est, qui vel legem, vel hominem supra se admittit. Hinc sapiens *Ecl. 8. quis dicat Regi, quid facis?* inquit. Ut tamen res melius colliquefeat, iis, penes quos est majestas, *duplicem* tribuendam esse *potestatem*, *Ordinariam* scilicet, legibusque conformem. Aliam *extraordinariam*, Architectonicam, legibusque solutam, quæ potestatis summæ plenitudo indigitatur. Si prius inspectemus, majestas summa legibus obstringitur regulariter omnibus, 1. *Naturalibus* scilicet, quoniam providentiâ divinâ æquè imperantes ac subditi naturâ obtemperare tenentur. 2. *Fundamentalibus*, id est, imperii legibus, periculosum enim admodum est Regem ita creari, ut nullis omnino legibus teneatur, sed in tyrannidem degeneret. 3. *Divinis*, lex enim imperatorum non est supra legem Dei, quinimò superædificata verbo Dei. *Cavendum*

Idcirco hic est, ne audiantur a Rege verba illa *Plurimumque mihi est Dominus;*
ut audiat vocem ejus. Quod de extraordinariam concernit potestatem, quatenus
sublicane impedimus iura Reip. offuscant; cum scilicet *salus publica, hone-*
stas, & iustitia periclitantur. Quæ quavis parte majestas summa ad nutum
fortuna, tempestatisque seditionem nititur temperare & gubernare; *Hoc*
re p. s. l. a leges negligere civiles omnes, contra eas dispensare, jus quoque
gentium pro arbitrio prudenti limitare, determinare, & secundum æqui-
tatem rectamque rationem applicare potest. *Besol. pag. 50. de maj. Baccho.*
ad Disp. Treut. Seomb. Pol. lib. 2. Schneid. de leg. Fal.

V.

Quoniam autem *Summa* hæc nostra *Majestas* non sit ficta, neque proba-
biles tantum persuasiones secum trahat, quinimò suas certas præmon-
stret *causas*; fert animus totam ejus naturam & originem juxta quaternari-
um *numerum* causarum, *Efficientem à qua*, *Materiam ex qua*, *Formam*
per quam, *Finem cujus gratia* consiliet, paucis indigitare. *Causa* enim fon-
tes sunt solidæ ac constantis cognitionis, adeò ut qui veras rerum causas
tenet, ipsas res teneat, qui verò ipsas ignoret, res ipsas verè & perspectè non
intelligat. Quod nostrum itaque est, agemus, dicimusque *Causam primam*
efficientem majestaticæ superioritatis esse ipsum Deum, qui transfert &
stabilit *Regna*; Nec absone, cum nulla potestas nisi à Deo, adeoque non ho-
minum sed Dei *judicium summa hæc exercet potestas*. Hinc Imperator di-
citur sequi Deum qui omnia gubernat, utpote cui Deum imposuisse coro-
nam circumfertur. Ex indeque speculamur hodie *Imperatores* ita pingi, ut
sinistrâ manu teneant spheram, quæ orbem terrarum designat, ita ut in-
nuatur eâ amplissima & præ aliis supremiens majestatica superioritas. *In-*
de etiam est quod Romanorum olim Imperatores. *Deorum providentiâ*, ho-
dierni *Dei Gratia* se constitutos pronunciant. *Ut videre est Besol. pag. 11*

V I.

Causa secundariò efficiens majestaticæ superioritatis est ipse populus, sive
requisitus omnium ad summam potestatem concursus; ut qui eam pote-
statem, quam *summa* redolet *majestas*, transfudit in eam, regimentaque
Reip. ita tamen ut libertatem asserat, hostesque profliget, ipsi concedidit.
Hinc illud jam relucet, quoniam à populo imperium provenit *legibus* im-
perii teneri Principem, nec potest ullo modo eam mutare, aut ab illa rece-
dere; Non enim omnem potestatem populus transfudisse poenitus censet-
tur,

427
rar, focus enim metuendum, quin facile imperium (at dictum) in tyrannidem degeneret. Hinc jam *status imperii*, maturè providere solent de maiestate *Personali*, ut si regimen Tyrannicum evadat, aut si eò flexerit tempestivè occurrere satagunt.

V I I.

Declaratà *causâ efficiente* Supremæ maiestatis tam primaria, quam secundaria, superest *causam* ejus *procreantem* paucis expedire, quæ in primo Assyriæ Imperatore Nimrodo nempe residet. Pleni enim sunt libri, plena antiquitatis memoria, quod Rerump. origines à Nimrodo ortum habuerint, inde ad dominatum, post ad Reges eorumvè liberos quasi successorio jure imperia pervenisse. Cum enim primus ille in Assyria Imperator *Nimrod* acerbius suum exerceret dominium, *amarus dominator* appellatus est, ceteri deinceps Imperatores non modo ab eo agrorum ac possessionum, sed etiam personarum dominatum acceperunt. Sed tandem imperium ejus duo inter se *Præselli* diviserunt, sicque *alter* Assyrium, qui Chaldæi dicti sunt: *alter* verò Persarum adeptus est imperium; Ac tandem utrumquè ad *Cyrum* Regem delatum, cujus Filius *Cambyses* sine Regia stirpe mortuus occasionem præbuit Principibus adversus *Magos*, qui Regnum invalserant, conjurandi, quibus cæsis *decem* Principes comparuere inter se, ut cujus equus ante *Solem* ortum hinniret, regno potiretur. Quid tandem fit? *Darius* regnum adeptus est, ac deinceps posterius ejus maximum illud imperium tenuere ad *Alexandrum* usque magnum, qui Reges *Indorum* ac *Scytharum* subegit, eorumque imperia conjunxit. Ut prolixius hæc videri possunt *apud Cluver. lib. 2. Inst. Hist. Pbil. lib. 1.*

V I I I.

Materiale jam jam Superioritatis nostræ Maiestaticæ in ordine ad tractandum occurrit, cui *potestas* complectens omnia *jura* maiestatis, leges fundamentales, quæ *basis* & fundamentum Supremæ Maiestatis, adeoque fidei omnia prærequisita essentialis imperii summi constitutionis redolens, correspondet: ex his enim coagmentatis & coadunatis corpus velut quoddam Maiestaticæ superioritatis conflatur; Hisquè è contra sublatis repente umbra tanquam evanescit. Hæc autem Supremæ maiestatis *potestas duplex* est, aut esse potest, *Reservata* scilicet, quæ ab ipsa tanquam se superiorem non recognoscente immediatè dependet. Vel

communicata, quatenus ab ipsa Summa Majestate inferioribus magistratibus *mediate*, vel *immediate* communicata est. Quod ad *prius* attinet, non est in illius partes vel omnes ejus species enumerare, longam enim esset series, et admodum que variatur ea omnia operose proponere. Dicimus ergo reservata Majestatis Supremæ potestati inesse absolute. *Primo, sancire leges*, ut enim ipsa majestas legum vinculo liberata est: ita subditos omnes Sanctionum nexu obstringit, & ad metam civilis societatis vel ducit, vel trahit. Necessaria ergo hæc sanctio legis est, sine hoc enim jure Potestas politica stare nequit, cum legis viventis sit imperare, vetare, permittere, punire. *Besol. de maj. Borni. cap. 16. Lib. exer. 7.* adeoque haud immerito Patriarcha Jacobus scepro legislatorem immediate conjungit. *Gen. 39. 10.* Secundò *jus inducendi bellum hostibus imperii*: hinc crimens læsa majestatis ei incidit, qui bellum in imperio sine licentia Caesaris movet, neque bellum id, sed latrocinium adeoque deprædatio appellatur. *Tertiò, constituere magistratus*, quemadmodum enim originaliter omnis jurisdictio à fonte Majestatis profluit: ita solius Summi Imperii propriam censetur jus creandi Archiduces, Duces, Comites, Barones, Equites, & Nobilitare suos. *Quartò & ultimò, jus concessionis privilegiorum & immunitatis in imperio*, qui ut solus potestatem habet condendi leges generales, ita & privilegia, quæ quasi leges singulares sunt certas quasdam personas spectantes. *Bodin. de Rep. Thuan. lib. 46. Bodin. de Rep. Dana. lib. 2. pol. Arnis. de maj.*

I X.

Expedità supremæ majestatis *reservatâ* eaque absolutâ potestate, expedienda est & *potestas* ejus *communicata* statibus scilicet imperii, quæ consistit *partim* in contractu & investiturâ feudali, *partim* vero in privilegio expresso vel tacito. Quemadmodum enim animæ facultates, omnesque sensus ac motus corporis ab animæ virtute proficiscuntur, & in eadem subsistunt: sic à Majestate sublimi alia omnia imperia inferiora effluunt, & in eadem permanent. Sunt autem potestatis hujus *communicatæ* partes, 1. *Jus remittendi penas capitales*, quod & inferiorem præter Supremam Majestatem, Magistratum concernit: hic tamen summopere inspiciendum erit, ne contra expressam Dei legem dispensetur, *Quis enim rühomo? qui creatori tuo obloqueris. Dan. lib. 6. polit. cap. 3. 2. Jus præstandi saluum conductum, id est, tutò eundi & redeundi per vias publicas*

sui

suū territorii, ita ut qui salvo conductu munitos offenderint, in crimine
fæse majestatis incurrant. 3. *Jus mutandi religionis exercitium*, ita tamen
ut subditos ad hanc vel illam religionem cogere haud possunt. Incivile
enim est invitum hominem jubere facere, quod facere non potest, religio
autem suaderi non imperari debet. *Besol. de maj.* Hæc de Summa summi
imperii Potestate satis sunt.

X.

Præmissa *causa efficiens* cum suis partibus, adeoque *materia* evolutione;
coelestis majestaticæ Superioritatis *forma* per quam est, succedit, quæ con-
sistit. 1. *Imperio* universali, ut summa existens universum imperet, quo-
niam nihil eā superius, nemoquæ eam sequitur: quæ denique ante alios,
& ante quam nemo. Nil *obest* igitur, quin sua utatur potestate, circum-
specteque imperio suo providere, incommoda dimovere, dimota ad nu-
rum fortunæ aptare, ordinare, tempestates sedare, casque temperare; In-
super leges sancire, sancitas pro arbitrio prudenti limitare, determinare,
& secundum æquitatem dijudicare prætendat. Ipsius enim titulus teste
Gunthero hic est: *Nullum caput ista super se aspiciat, excepto calore Regis,*
potestas. Residet secundo majestaticæ Superioritatis *forma* in indissolubili
ac unanimi imperantis, subditorumquæ consensu ac voluntate, cujus re-
spectu is, qui summum imperium habet præ se ferat necesse est. *populo mal-*
le credere magis, quam imperare: Ipsi enim convenit æquum juris utrius-
que Patronum fieri, omniaquæ deliberatè prout convenit, facere; His enim
denegatis neque regnum salvum ac incolume consistere, neque Regia vis
& dignitas apprimè elucescere potest. *Non hic ergo Tyrannus* suâ avaritiâ,
aut inauditâ vafricitie, nec *Prodigus* boni publici suâ laxitate proderit quic-
quam: non enim hæc structuram, sed destructuram, non Reip. emolu-
mentum, quinimò detrimentum spirant atque minantur. Hi ergo imi-
tentur *Plinium* dicentem: *nihil Principem posse, quod natura turpe sit, aut*
injustum. Venerentur *Senecam*, qui inquit, *ad Regem potestas omnium per-*
tinet, ad singulos proprietates. Hoc demum fixum est. Principi alienis o-
pibus manus afferre, aut eas sine justa causa largiri cuiquam, illicitum
& indecorum putantur.

XI.

• *Finis* jam prodit, *cujus gratia* Summa hæc acquiritur Majestas, qui du-
plex *Divinus*, vel *humanius.* Prior respicit gloriam & zelum Dei, adeoque
in

in fervida Ecclesiæ Christiana promotione, veræ fidei propagatione, utriusque tandem firmâ ac immotâ conservatione consistit. Et quemadmodum Summa hæc Majestas imago & exemplar Dei in terris est, unde & Divin Scriptura S. vocitantur, operæpretium est ad hos collimari *finēs*, neque illos vilipendere: metuendum enim ne Deus, quem se superiore agnoscit, irriteretur, eamque cum suo imperio in stuporem totius mundi aboleat; Cujus respectu à verbis illis (*ut monui*) cavendum est, quæ haudquaquã ab Imperatore audiri sustineantur, quàm *Pharao Mosi* inquit: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus.* Quod ad posteriorem *finem*, scilicet humanum, attinet, is *partim* in arbitrio proprio Supremæ Majestatis residet: *Partim* subditorum, seu territorii sui structuram & emolumentum concernit. *Primo* ergo Supremæ Majestatis seipsam præcisè concernentis *ratio* dispiciendum erit, ubi tria *Imperatorem* ad subditorum suorum salutem præexigunt, eaque ipsi præstanda necessariò existimant. 1. *Justitia.* 2. *Clementia.* 3. *Liberalitas.* *Justitia* imprimis necessaria est, quæ suæ administrationis comes est, adeoque eâ sua stabilitur majestas, quoniam absente eâ nihil in imperii administratione laudabile effici potest: testatur hoc *Cicero*, cum inquit: *sine Justitia Regna nihil aliud sunt, quam magna atrocitas.* Et *Augustinus*: *Justitia & pietate Principes Divi sunt.* E diametro ergo immediatè opponuntur huic *Justitiæ*, *injustitia*, *iniquitas*, *infidelitas*; Nec incongruè, cū enim Summa illa potestas ad Reip. salutem ac honestatem, omni studio & opera procurandâ inventa ac concessa sit, minime ad injuriosa & iniqua extendi debet, quinimò bonum publicum, adeoque privatorum utilitatem tota quanta est promovere atque procurare necessariò cogitet. *Secundo* tenetur Suprema majestas subditis suis *Clementiam*, quæ pro ratione circumstantiarum stricti juris rigorem mitigat, & ad misericordiam potius quam severitatem propendet. Id molitur suadere *Seneca*, cum inquit: *Pulchrum eminere est: inter Illustres viros, consulere patriam, pavere afflictis, feraque cæde abstinere,* &c. *In* clementiæ igitur & iniquitatis nomen mœrentur illi. 1. *Qui* contra *Religionem* erga Deum, *pietatem* in patriam & parentes, contraque regulam hanc: *alterum non ledere*, cum alterius locupletantur jactura, tales enim à naturali æquitate revera recedunt, cum haud naturæ alterius damno locupletari conveniat. *Omnia* quidem majestati Summæ relicta sunt, sed arbitrium illud jure & æquitate informatum esse debet, non enim Prin-

cipes

45
cipes domini sunt subditorum tanquam Pastores ovium, sed ut salutem, honestatem, ac incolumitatem populi tueantur. 2. Tyranni, qui omnia pietatis, juris ac honestatis repagula nefarie perfringunt. *Facessent* ergo ab hac potestate Tyrannicæ vel voces, vel cogitationes: *Hoc vo'o, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Exulet *Caligula* responsum, qui inquit: *annon omnia mihi in omnes licere?* Tenetur tertio Suprema majestas populo *Liberalitate*, quâ nihil homini accommodatius, adeoque secum portat *verum judicium & honestam benevolentiam*, quæ Princeps de se bene meritis, fideisque suis ministris debet & præstat; Non enim *teste Seneca* civium *servitutem* sibi traditam, sed *clientelam*; Et non suam esse Remp. sed se esse *Reip.* firmiter teneat.

XII.

Hactenus de *sine*, qui in proprio Supremæ Majestatis arbitrio residebat, actum esse sufficiat; Jam vero eum, qui subditorum, suiquæ Territorii structuram & emolumentum concernit, aggredior. Estque *Finis* ille *Principalis*, vel *Minusprincipalis* seu *inadequatus*. Prior est *salus* populi, *publica utilitas*, necessitas, vel alia quælibet consimilis *Reip. causa*; Enimvero Suprema hæc majestas *unicâ* habet præcipuâ *legem*, populi nempe salutem ac honestatem, quæ *duo* secû *adjuncta* inseparabilia trahit; *Libertatem* scilicet, ut ea sit *libera*, non legum tamen vinculis exsoluta, verum Tyrannidis aliorumquæ consimilium devia, & absõna: propter enim Remp. ut ea salva & libera sit, factæ sunt leges, non Resp. propter leges, ideoque videre debet Princeps, Resp. ne quid detrimenti capiat, etiam si legum negligatur subtilitas. *Secundo Philonisi* aµ laboris nempe studium. infamat enim Principem *ignavia*, suspectum reddit *perfida luxuries*, vitamquæ finire cogit deploranda subditorum jactura. Hinc Seneca: *Omnium somnos Principis vigilantia, omnium otium illius labor, omnium delicias ipsius industria, omnium denique vacationem illius occupatio defendat.* Sicquæ pro symbolo habuit Alexander Severus: LABOREMUS. Et Pertinax, MILITEMUS. Haud secus & Vespasianus inquit: *Oportet Principem stantem mori.* *Vend. Pol. lib. 1. Bodin. de Rep. Dan. 3. Polit.* Fines *minus principales*, qui ex superiori duo tanquâ consecutaria effluunt, hi sunt, 1. Cû *Summa majestas* ad populi salutem inventa atq; concessa sit, non ergo ipsamet ad dâna subditorû festinet, si evidens nulla urgeat necessitas, & aliter salutem *Reip.* honestatiquæ consuli possit; Quinimò studendum est & damna data privatis compensare, sic enim *Lipso teste*, justitiæ palma Princi-

752
pi non in carceribus fixa censetur. *Secundo*, ne sub prætextu boni publici per privatorum damna. Suprema Majestas privata sua quærat commoda, adeoque nec pro bonis publicis haberi existimet, quæcunque ad personas redundant publicas, & sic salva ac incolumis Populi salus conservari potest.

X I I I.

Hactenus de *ortu & origine* Supremæ Majestatis juxta quaternarium numerum causarum, jam restat ut ejus *subjectum & Adjunctum* breviter declaremus. *Subjecti* ergo & quidem *recipientis* nomine intelliguntur ii omnes, qui in numero Imperatorum aut Supremæ majestatis haberi possunt aut debent, ut per eos gloria Dei promoveatur, & Ecclesiæ populi que salus procuretur. Unde *Quæstio* illa famosa corrui, *an scilicet summus ille Pontifex Papa Romanus in mundo summam habere potestatem possit, & an in Imperatores dominatum ac potestatem habeat?* Cujus utriusque nos partem negativam tuemur, & tuebimur, dicimusque nedum in mundo summam polleat potestate, adeoque jus & dominatum in Imperatores habere; quin ei omnino subesse, & quidem. 1. *Quia* Aron quamvis summus sacerdos, per omnia tamen agnovit Mosem, Politicum Magistratum pro Domino suo. *Exod.* 22. 23. & Moses ipse tanquam Politicus Magistratus à Deo ordinatus non tantum Laicis, sed etiam sacerdotibus jura & mandata præcipit. *Exod.* 19. 22. 2. *Quia & Christus* cujus se vicarium Papa frustra absque ullo mandato gloriatur, Cæsari & subjectionem & tributum nullo modo denegavit, quinimò imperavit. Ergo neutiquam de jure Papa Romanus hæc pro se venditare potest. *Gotho. Anto. disp. de pot. Imp.*

X I V.

Adjuncta circumstantia Supremæ majestatis sunt personæ juvantes ipsam *consilio, legationibus, & obsequio*, id est, Legati, Ministri & Consilarii. Est autem *Legatus*, *persona publica sacratione nomine ad Principem vel Remp. missa, sine imperio, rei dicenda agendaque causa. Ut scomb. de Leg.* Quæ suscipit legationem 1. *Vel causa* officii & honoris ad exultandum aut dolorem significandum. 2. *Vel causa* expeditionis negotiorum summæ Reip. idque potissimum 1. *Ob incunda fœdera. Vel* 2. *ad bellum denunciandum, cujusmodi Legati dicuntur Fœciales. Ministri* sunt, qui in Aula Principi præcipuo adsunt adminiculo, partem enim tuta est sine

75

viribus majestas. *Liv. lib. 2.* Tales autem Ministri debent esse. 1. *Qui- bus est genus honestum, vilis enim ille, qui viles sibi tantum admoveret.* 2. *Qui vita sunt probe & inculpatae, quia ex his plerumque estimari Prin- cepts solet.* 3. *Qui ad functiones, quibus adhibentur sunt idonei: secus enim si fiat, in aula nihil recte & ex ulu Principis geretur. Non ergo de- bet in Aula esse contemptor animus, non superbia, non ignorantia crassa, quae commune aulicæ nobilitatis malum, non denique ipsamet aula la- trocinium, aut refugium malorum, lapsa enim capite concidunt membra.* Sequuntur porro *Consilarii, qui sunt personatales, quibus in Rep. ad sui in- formationem, antequam res arduas aggrediat, utitur princeps.* In quibus tria necessariò consideranda. 1. *Atas.* 2. *Doctrina.* 3. *Mores.* Prius necessariò investigandum est, adeoque non nimis juvenes deligendi sunt consilarii, hi enim plerique nondum satis regere animi affectus & impe- tum possunt, cum sint molles & etate fluxi. *Neque nimis senes, quia gran- dis illa etas & corporis & ingenii sentit detrimentum, unde & corpore & ingenio his pueri senes.* Secundum, *doctrina scilicet consilarii exquisita debet esse, ita ut complectatur.* 1. *Historiarum cognitionem, sine hac e- nim misera cudet consilia.* 2. *Philosophicarum disciplinarum nonnul- lam peritiam, infœlices enim ii, qui saltem ex libris sapiunt. Hinc illud vulgatum. Per varios casus artem experientia fecit. Exemplo monstrante viam, &c.* 3. *Rerum recte gerendarum notitiam ulu & experientia cultam, quid enim ii, qui nullo rerum usu edocti, quique rebus propriis bene pro- spicere non didicerunt? Quum hi vel propriam domum, nedum Pro- vinciam regere & dirigere accomodi sint. Quod ad tertium, mores scilicet consiliorum, attinet, in iis. 1. debet esse modestus, hæc enim modestia intra mediocritatem consilia retinet. 2. Continens, ab avari- tia alienus, nullum enim officium tam sanctum & solemne, quod non avaritia violare soleat. 3. Pius, pietate absente bona raro obveniunt consilia, aut si obveniant fœlices raro sortiuntur exitus. *Cypr. in Epist. Liv. Cic. Salust. Tac. & Dan. 4. Polit.**

X V.

Quemadmodum hæc *Majestatica Superioritatis*, sive *Majestatis* in genere *ortum*, amplitudinem, necessitatem, legibusque solutam po- testatem *Argumenta* denotabant *consentanea*; divertendum jam nobis erit ad *Argumenta Dissentanea*, quæ è regione *jacturam*, interitum, ever- sionemque

Nonemque ejus nobis præmonstrant, atque minantur. Prout ergo Supremæ hujus Majestatis *Finem* ejus gratia inventa ac concessa sit, *duplicem* esse diximus *Divinum & Humanum* : ita *causam* interitus & everfionis ejus *duplicem* asserimus. *Divinam* scilicet & *Humanam*. *Priorem*, quia veluti transfert Deus imperia constituitque Reges : ita per iram eadem evertit. Hinc *Seneca* : *nihil publicè stabile est : tam hominum, quam Urbium fata voluntur*. Nec mirum, inter enim peritura vivimus, dignitatum fastigia innumeris vicissitudinibus obvia ; *nunc* nubilo serena succedunt ; *nunc contra*. Turbantur maria quum quieverunt ; sic & imperia, adeoque *omnia mortali mutantur lege creata*. Ut ergo fundatorem Summi imperii Deum : ita & iptum everforem justum agnoscimus, *teste Psal.* Psal. 44. *Tu manu tua gentes expulisti, plantasti ipsas, malo affectisti nationes, & propagasti ipsas*. Quod ad *posteriorem* everfionis *causam*, attinet, ea *partim* Supremam concernit Majestatem. *Partim* subditis ejus assignatur. Quæ Summam concernit Majestatem fundatur 1. In oppreffione Pauperum, quorum Deus insignem gerit curam, hic enim Princeps sæpe suam prodit injustitiam, quare comminatur propter eos. *Amos* 5. ubi inquit, *quod diripisti pauperem, & prædam electam tulisti ab eo, domos quadæto lapide edificabitis, & non habitabitis in eis, vineas plantabitis amænissimas, & non bibetis vinum earum*. 2. In luxu & superbia, quarum præcipuè fundamentum crassa ignorantia ; Periculosa sunt hac, *vix enim ulla Resp. diù stetit, quæ Luxuriosa Principis vitâ transacta est : vix ulla concidit, quam non ebriofci everterunt*. Hinc *Virg. Anei.* *cernimus Urbem somno. vinoque sepultam*. 3. In ambitione, & plura habendi cupidine. Etenim, quid hac iniquius ? Cum omnium malorum causa cupiditas imperii ex ambitione, civitates factionibus scinduntur in partes, honoribus cumulanter indigni, simpliciores opprimuntur, fraudes & machinæ laudantur. Optime quidam *inquit* tales in votis nihil aliud habere, quam ut *Lybiam remotis gadibus jungant, & uterque Pænus serviat uni*.

X V I.

Haecenus de *causa* everfionis Supremæ Majestatis, quæ ipsam præcisè concernebat ; Jam quæ in suis subditis residet, sequitur. Eaque *partim* ad consiliarios pertinet, *partim* immediate subditos solos spectat. *Prior* consilium 1. *In assentatione*, cum consilarii in aures Principum fictè & simulatè quæritus sui causam insulant, quique *teste Cicerone* aucupum

43

cupum more vocem suam ad imitationem Regum componunt, itaque eos subeunt, & decipiunt. 2. In *contumacia* & *pervicacia*, quod exinde fit, si consilio suo nimis insistat, meliora consulentes contemnat, & nihil, nisi quod ipse dicit aut facit, ex cœco sui amore rectum putet: quorum neutrum circumspecto Principi ferendum. 3. In *discordia* inter consilia-fores, cum quoslibet privati odii pertinacia, & affectus noxii in publicum exitum instigant. Hi, *Tacito teste*, Lernæam hydram secant, & ut *Cæcias* nubes mala attrahunt. Restat *ultimò* causa eversionis Supremæ Majestatis, quæ solo's immediate subditos absque consiliariis spectat, adeoque est ipsa *seditio*, quæ nihil aliud est, nisi *multitudinis in Principem subitus & violentus motus*. Unde plurima mala effluunt. 1. *Contemptus* Majestatis. 2. *Dedecus* & *infamia*. 3. *Furor*, &c. Hinc Ovid. *Janquè faces & saxæ volant, furor arma ministrat.*

XVII.

Expositis Majestaticæ Superioritatis *causis*, quæ ipsam quaqua verum evertunt, convellant, & labefactant, superest ut ad ea nosmet conferamus media, quæ ipsam erigunt, & refarciunt. Pro diversitate autem *causarum* evertentium Supremam Majestatem instituemus & *mediorum* erigendorum administrationem: *imprimis* ergò quoniam auxilio sine Divino labimur omnes, Deus orandus, precibus importunis sollicitandus, ciendus, ut Principes ad sui gloriam, Religionis patrocinium, Republicæ salutem quam diutissime conservet; 2. Ut luxum, superbiam amoveat, injustitiam & impunitatem delictorum exterminet. 3. Ut rancidos hostium furores profiget, & sui favorem conciliet. *Ex parte* Supremæ Majestatis, quæ ipsam decent, hæc sunt. Ut erga populum 1. Præset justitiam. 2. Clementiam. 3. Liberalitatem, quæ omnia luculenter satis supra *Thesi xi.* expedita sunt. *Ex parte* consiliariorum adesse debet. 1. Suadendi libertas, quid enim utilitatis? si consiliarius ad nutum sui Principis linguam effrenet. *Quid* denique præsidii? Aule tali interesse, in qua dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum regeritur. 2. *Sobrietas*, ne mero gravatis viribus, & ratione turbata consultationes ineat. 3. *Cunctatio* provida, unde exulat præcipitantia & festinatio cœca, ne præcipientes in exitum corruant. *Ex parte* subditorum requiritur. 1. *Officium* debitum, quod recognitionem Superioritatis, & venerationem Majestatis redolet. *Psal.* 82. *Time Deum, honora Regem.*

2. Obedientia, omnis enim anima potestatibus supereminentibus sub-
jecta est. Rom. 13. cui si quis resistit, ordinationi Dei resistit. Rom. 13.
Tertio & ultimo tributi præstatio, tributa enim ad conservationem gu-
bernationis judiciorum & pacis publicæ indicuntur. Et sic Nobilissime
nostræ disputationis hic finis esto. Tu ergo hanc quisquis sis, adeoque
bonos viros *cessa* petulantissimâ consecrari linguâ. *Cessa* morbo tuæ pro-
cacitatis uti. Nolique quemlibet moribus tuis æll. mare; secus enim

*Incidis in foveam probis quam feceris ipse,
Vertitur inque tuum lingua nefanda caput.*

COROLLARIA.

AUTHORIS ET DEFENDENTIS.

EX ETHICA.

1. **B**onum virtutis non appetitur ab homine, nisi tanquam me-
dicum ad summi boni fruitionem.
2. Inter summum bonum & malum nulla datur electio.
3. Homo non appetit malum sub ratione mali.
4. Voluptas non est primum ac summum hominis bonum.

EX POLITICA.

1. **O**ptimè cautum est externos Principes non posse sine per-
missu Supremæ Majestatis copias in imperio con-
scribere.

Impe-

2. Imperator non potest absolute Legem condere nisi cum consensu statuum imperii.
3. Imperator omnis dignitatis & Nobilitatis fons est.
4. Pœnam in conjuratos severam statui necesse est.
5. Religio suaderi non imperari debet.
6. Finis adequatus Reip. est honestas, adeoque salus populi.

E N C H O M I U M

τῆς εὐφροσύνης *Doctissimi ac Eruditissimi* *Fu-*
venis D. JOHANNIS P. DEBRECENI,
de Majestatica Superioritate laudabiliter differen-
tis, suasque Theses in Athenæo Ultrajectino
optimè defendentis.

Qui nullâ *Famæ* stimulante *libidine* captus,
 Volvere *Doctorum* magno molimine tentat
Scripta Polita, graves inter fulgebit honores.
Ingenii talis clarum *studii*que vigorem
Virtutis Palmam capit, optatumque *Tryumphum*.
 Sic nullâ *Famæ* stimulante *libidine* ductus,
 Iane tuo genio *Patriæ* procul alta *Sophiæ*
 Rimaris, què tuis *Scriptis* audacior instas.
 Eja! pelle *metum* studii tua *cæpta* secundet
Fortuna, ut rigide doctum *monumenta* sequare.
Pergas Politici studii penetrare latentis
Arcana, & mellesem capies preciumque laboris:

Artes

58
Artes arte trahas, & rectas discutis umbras,
Sicque tuum poteris ceptum cumulare *Trophæis*.
Nolle igitur! subeas quæ nunc defendere tentas,
Anfractus lustres, ut falsa *Sophismata* solvens
Livida prosternas magno certamine dicta.
Auspicio lato ac *Mysteria* pangere *Diva*
Sit tua mens; tandem fies *Encyclice* doctus.
Hebrais, *Græcis* mentem progressibus ornes.
Et præfaga tui studii *monumenta* relinques.
Ne mea *Musa* tuæ jactetur laudis amore,
Jam cessat, quoniam cupiunt requiescere *Musa*
Debrecii nomen nunquam per opaca vagetur,
Donec *Flammigeteris* rutilabunt *Sydera* gemmis!
Hæc mea solverunt *caste* tibi vota *Minerva*
Hosque dedit *Latos*, *Hungara* *Musa*, *fortos*.

*Amico suo integerrimo Qualecunque hoc
amoris pignus apponebat*

NICOLAUS J. TETSI Hungarus.

Πάρον & πνευμάτιον,

in BATAVIA.

